

micare non potuerunt : plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Sic Conceſſio. Vbi ſimiliter quod de Confraternitate dicitur, de Congregationibus accipiendum, in quibus viri pariter & mulieres poſſunt adſcribi. Etſi id aliunde non haberetur, ex huiusmodi ſane conceſſione, & ſimilibus aliis Pontificum poſſet abundè fundari. Sic enim Paulus V. ſic Urbanus VIII. ſunt locuti. Extrat autem ampliſſimum Sixti V. circa hoc Indultum in Bulla ſpeciali, quæ virica pro Societate Pontificis huius habetur, in qua erigi Congregationes quorumcumque Chriſti fidelium in Eccleſiis, & Domibus Societatis concedit, & facultatem Præpoſito Generali Primariæ eadem aggregandi, vt omnibus, quibus illa, priuilegijs & gratis poterit.

498. Illud autem circa gratiam prædictam inquirendum occurrit, an quod pro Indulgentia in mortis articulo dicitur, ſit etiam ad Scholaſticos referendum : cum enim de illis nihil tale dictum ſit, & diuerſus pro alijs dies ad lucrandum Indulgentiam extra mortis articulum aſſignatur, diuerſa eſſe penitus diſpoſitio videtur. Nihilominus fauor prædictus omnes præſatos amplectitur, quia ſub vnâ clauſulâ continentur, & commodiſſimè ad illos poteſt referri : cum præterea non ſit vlla ratio. Scholaſticos excludendi. Omnes enim ad idem Congregationis Virginis gremium pertinent ; omnibus Confeſſionis, & Communionis onus imponitur ; licet diuerſi ſint pro illis dies, quia eos, qui Scholaſtici non ſunt, optat Pontifex ad celebrationem Feſti Corporis Chriſti fructuoſè concurrere, & tunc Communionem frequentare, ſciens Scholaſticos circa hoc eſſe frequentiores, per menſes ſingulos fructum arboris vitæ deguſtantes. Quod ergo tandem additur de Indulgentia pro mortis articulo, ad omnes eſt compertum pertinere. Et fauet quidem non obſcurè contextus poſtremis illis verbis : *Plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam &c.* Illud enim *ſimiliter* Indulgentiam eam indicat, de qua proximè dictum : nulla autem alia proximè præceſſerat, niſi quæ pro Scholaſticis fuerat conceſſa. Mens ergo Pontificis eſt omnes illâ in articulo neceſſitatis extrema potiri. Quod autem clauſula in aliquâ Diſpoſitione poſita, ad omnia in illâ contenta referatur, quando omnium eſt eadem ratio, communis doctrina eſt, pro qua Menochius de Præſumptionibus Præſumpt. 181. num. 2. & licet hic in rigore non ſit communis clauſula, iuuat ea doctrina ad intelligendum rationem eandem in iis repertam, pro quibus fauorabilis diſpoſitio procedit, magnum eſſe paris effectus argumentum. Et quamuis non ſit clauſula expreſſa, eſt tamen tacita, & ſimilitudinis nota efficaciſſima pro eodem.

499. Et roboratur ampliùs ex eo quod ſtatim de Scholaſticis ſermo ſuccedit, vt ea quæ dicta fuerunt, ad eos ſpectare non videatur poſſe in dubium reuocari. Succedit autem, dum eisdem pro Feſtis Virginis, Natiuitatis, & Reſurrectionis Domini, ac etiam Pentecoſtes, Confeſſis & ſacrâ Communione refeſtis decem annorum Indulgentia conceditur : ſic enim intelligendum illud quod dicitur, *ſi confeſſi & contriti*

Roborata probatio ex conceſſione alia pro Scholaſticis ſubſecuta.

præmiſſa perceperint. Præmiſſa autem fuerant Communio, & recitatio Coronæ, aut tertiæ partis Roſarij. Quamquàm alius eſſe ſenſus poſſit, quod ſcilicet non requiratur Communio, vt in prædictis Feſtis Indulgentia dicta obtineatur, immò neque Confeſſio, ſi contritio adſit. Pro quo obſeruari iuuat id quod dicitur, *Qui ſingulis eiufdem Virginis feſtiuitatibus* : ergo & in Feſtiuitatibus Annuntiationis, & Aſſumptionis : atqui pro illis Indulgentiam plenariam conceſſerat Pontifex : ergo dum hoc loco limitatam concedit Communionem non exigit, immò neque Confeſſionem ; dummodo contritio ſuffragetur. Id quod vterius poteſt efficaciter comprobari ex Bulla Gregorij X. citatâ de inſtitutione Congregationum : in ea enim congregatis, qui in diebus Natiuitatis, & Aſcenſionis Domini, Annuntiationis, Aſſumptionis, & Conceptionis, ac Natiuitatis Virginis, ritè confeſſi communicauerint, plenariam Indulgentiam elargitur. Quæ gratia ad omnes Congregationis Primariæ aggregatas virtute conceſſionis Sixti V. de qua num. 496. eſt pariſormiter propagata. Et eſt talis conceſſio perpetua. Qui ergo fieri poſſit vt Succellores Pontifices hæc ſcientes, pro eiſdem diebus Indulgentiam limitatam tempore & virtute conceſſerint eadem proſus facientibus ; immò & plus aliquid, dum ab eiſdem recitatio Coronæ, aut tertiæ partis Roſarij poſtulat ? Minus ergo conceditur, quia minus peccat, ſola ſcilicet contritio cū recitatione dictâ.

500. Additur ſtatim in hunc modum : *Eos quoque qui in ſingulis diebus Veneris cuiusvis quadrageſimæ deuotè proceſſionibus publicis, in partibus & locis tranſmarinis ad orandum pro conuerſione Gentilium & hæreticorum prædictorum, iuxta ritum Eccleſiæ Romanæ inſtitutus interſuerint, trium annorum : reliquis vero omnibus eiſdem proceſſionibus præſentibus contritis & confeſſis vnus anni Indulgentiam elargimur.* Hæc ibi. Poſſunt ergo iuxta illa tales Proceſſiones inſtitui, neque eas Prælati penitus interdicere, niſi pro re natâ inconueniens aliquod occurrerit, ratione cuius non videatur voluntati Pontificis in conceſſione huiusmodi contrari. Et ita quidem aliqui præſtiterunt, Proceſſionibus alijs inſenſis, quæ fieri à Religioſis ſolent in Quadrageſimâ, Indijs aut Æthiopijs conuocatis : oſtenſo enim Societatis priuilegio, eidem more gerendum cenſuerunt. Licet enim in eo non exprimantur Proceſſiones à Religioſis Societatis ſpecialiter faciendæ ; quia tamen priuilegium eiſdem conceſſum, & ad eorum inſtantiam impetratum, iſtis circa vſum ſpecialis copia facta ; licet aliquando Prælati mos gerendus circa hoc fuerit, moleſtè ſerentibus Proceſſionum talium frequentiam, ne iis inuitis occaſio contentionum eſſet, quod eſt ad fouendam conceſſum pietatem. Fuerat autem ſimile priuilegium conceſſum à Gregorio XIII. & extrat illud in Compendio Indico. Verb. *Indulgentia* 2. §. 13. Sed temporale illud, Anno 1603. finitum. Erat autem amplior Indulgentia, quia decem annorum, & totidem Quadragenarum : debent tamen cum Neophytis & Chriſtianis alijs doctrinam Chriſtianam recitare, aut priuatim docere : vnde qui priuatim eo miſericordiæ vterentur officio, eſt non recitarent doctrinam in Proceſſionibus,

Antiquior alia, & amplior.

Indul-

Indulgentiam obtinerent. Docere autem priuatim non eſt ſemel aut iterum inſtruire, ſed ita inſtructioni inſiſtere, vt Neophyti mediocriter ſaltem, niſi ſumma eorum obſiſtat ruditas, inſtructi eualeſcant. Videtur autem de inſtructione Neophytorum conceſſio procedere, de quibus mentio inducta, Indorum ſcilicet, Æthiopum, aliorumque Indiæ vtriuſque. Et ita non ſufficeret eorum inſtructio, qui Neophytorum nomine non veniunt, vt ſunt Hiſpanorum filij, & alij forſitan grandiores. Et Indulgentiam huiusmodi vt perpetuam admittent, qui omnia priuilegia, facultates, & gratias talia eſſe contendunt, vnde præſaram explicationem oportuit adhiberi : & quia eadem inferius in Bulla Innocentij continentur.

Orandum in Proceſſionibus, & qualiter.

Ritus Romana Eccleſiæ qualis in eiſdem futurum.

501. Vt verò Indulgentiæ ſecundum formam nouioris conceſſionis obtineri poſſint, ea obſeruanda, quæ à Pontificibus præſcribuntur : quod ſcilicet Proceſſiones fiant ad orandum pro conuerſione Gentilium & hæreticorum. Debent ergo in ordine ad hunc finem orationes fieri, & ita Litaniam recitandæ de more Eccleſiæ, vnde non eſt ita accommodata recitatio Pſalmi 50. aut alterius ex Pœnitentialibus. Vel admonendi in Proceſſione futuri vt clamores dicti Pœnitentiũ in eum finem dirigant, vt Deum ſic placatum reddant, & eo pacto ſupplicationis finem iuxta mentem Pontificis conſequantur. Debent præterea Proceſſiones iuxta Romanæ Eccleſiæ vſum inſtitui. Vſus autem Romanæ Eccleſiæ eſt, qui habetur in Rituali Pauli V. licet non ſit neceſſarium ad vnguem ſeruari, neque ſeruari ea, quæ ex Petro Gregorio habet Barboſa de Potestate Episcopii. Allegat. 78. num. 1. vt ſcilicet præcedat Clerus cum vexillis, Crucibus, & Cereis, ſequente populo : id enim in Proceſſionibus fieri ſolitum in Indijs de quibus loquuntur Pontifices, non ita eſt in vſu : neque enim ad illas Clerus eocurrat, ſed hinc inde procedentibus per ordinem Neophytis, geſtantur vexilla cum Crucibus, & imagines Virginis, & Saluatoris Crucifixi cum cereis accenſis, & cantu. Deberet autem Crux præcedere, quia hoc ad ritum Romanæ Eccleſiæ ſpectat : neque enim Cruces, quæ in vexillis eminent, videntur ſufficientes, & aliquis in fine ire Sacerdos pluuiæli ornatu, quod item de more eſt. Quod enim aliqui aiunt has non eſſe proprias & formatas Proceſſiones, minimè videtur admittendum ; quia ſi tales non ſunt, neque erunt pariter, quæ à Pontificibus in ſuis conceſſionibus memorantur, & ita neque aptæ, vt ratione illarum Indulgentiæ obtineantur.

Conceſſio pro liberandis à Purgatorio animabus morientium in itinere pro negotijs ſuis.

502. Pietas deinde Pontificia progreditur, de eorum ſelici requie ſolicita, qui pro cauſis fidei nauigationem aggreſſi, in eadem moriuntur, & ſic indulget : *Quodque pro animabus eorum Chriſti fidelium, qui in prædictis vtriuſque Indiæ nauigationibus pro negotio fidei inſtituendo ab humanis in charitate Chriſti coniuuncti deſceſerunt, confeſſi ac ſacrâ Communione refeſti, tertiam partem Roſarij aut vnâ Coronam recitauerint ; quos id agent, toties per modum ſuffragij vnâ ex dictorum animabus à pœnis Purgatorii liberare valeant.* Sic in Bulla Innocentij citata : vbi quod ad negotium fidei attinet ſic exponendum, vt num. 494. à nobis dictum. Licet autem pro morientibus in nauigationibus

gratia iſta proueniat, idem dicendum de morientibus, dum per terram iter faciunt, quia eadem eſt ratio, & fortè maior. Eſt namque Indulgentia iſta illi affinis, de qua num. citato. Ibi autem non eſt tantum pro morientibus in nauigationibus, ſed, vt ibidem dicitur, *In qualibet vtriuſque Indiæ regione, vel Oceani inſula, aut nauigatione.*

503. Pro Scholaſticis tempore Interdicti, & Ceſſationis à diuinis priuilegijs additur, ſicut & pro Presbyteris Societatis. Id autem quod ibi conceditur, alias licet, vt videri poteſt in Compendio communi, verb. *Interdictum*. §. 1. vbi ſolum cauetur, vt interdicti excludantur, & alijs poſſint Sacramenta miniſtrari. Quod ſi Sacramentorum adminiſtratio licet, multo magis ad audiendum Sacrum licebit admiſſio. Licet autem ibi non fiat mentio Ceſſationis à diuinis : ex conceſſione tamen Leonis X. de qua §. 6. habetur vt illius eadem ratio habeatur in foro conſcientiæ. Pro foro ergo externo poterit priuilegium Indicum deſtrui, ſi Ordinarij circa hoc moueat quaſtionem : in eo enim abſoluta conceſſio eſt. Illud autem ante omnes alios conceſſerat Gregorius XIII. vt conſtat ex Compendio Indico verb. *Interdictum*. vbi §. 3. ſic dicitur : *Postremo vero eiſdem Pontificis conceſſione obtentum eſt, vt idem poſſint noſtri Presbyteri, non præſentibus huiusmodi Scholaſticis, ſed alijs Religioſis de Societate, vt habetur in vniuersæ vocis Oraculis, pag. 99.* Sic ibi. Quod equidem mirum accidit, à Pontifice ſcilicet tale aliquid poſtulatam, quod per conceſſionem Pauli Tertij expreſſum habebatur, vt conſtat ex Bulla, quæ incipit, *Licet debitum*. Alicuius ergo ſcrupulo conceſſione præſatâ à Pontifice ſatiſfactum. Quod ſi illa effectum aliquem habere ſpeciale poteſt, perpetua eſt, quia vim declarationis habet, & ita non eſt cum Oraculis reuocata, ſicut priuilegium dictum eiufdem Pontificis Anno 1603. cum alijs terminatum.

Priuilegium pro Scholaſticis tempore Interdicti & ceſſationis.

Aliud pro Presbyteris Societatis.

504. Aliæ deinceps Indulgentiæ viſitanti- bus Eccleſiis aut Capellis Societatis conceduntur, in quibus additur, & vt ſuprà orauerint ; videlicet pro Gentilium & hæreticorum conuerſione, iuxta conceſſionem, de qua num. 490. Eſt autem inſignis illa, iuxta quam non vna aut alia, ſed Indulgentiarum poteſt cumulus obtineri : ſic enim illius tenor : *Eiſdem, qui aliquam ex prædictis Eccleſiis dictorum Presbyterorum Societatis IEſu, Quadrageſimâ, & alijs temporibus Stationum Vrbis, Dominicis, & Feriâ ſextâ diebus viſitauerint, eandem omnes & ſingulas Indulgentias concedimus, quæ conſequerentur, ſi Eccleſiis, & Baſilicis Vrbis in diebus Stationum huiusmodi deuotè viſitarent.* Sic ibi. Quantum autem hoc ſit ex eo poteſt intelligi, quod Auctores dicunt, qui Bullam Cruciatam exponunt, & de Indulgentiis Stationum Vrbis inquirent, quæ illam accipientibus, & Eccleſiis viſitanti- bus, ſecundum formam ibidem præſcriptam, conceduntur. Dum autem Eiſdem dicitur, illi deſignantur, de quibus immediata locutio præceſſerat in §. Inſuper : nam hæc particula nouam diſpoſitionem indicat ab antiquis diſtinctam Cap. Statutum §. Inſuper, de Reſcriptis, vbi Doctores. Sunt autem idem omnes vtriuſque ſexus Indiarum incolæ, & debent intelligi cum qualitatibus adiectis, quod ſcilicet deuotè viſitauerint, & orauerint, ſicut num. 490. dictum eſt.

Indulgentia alia, & ingens conceſſio pro Indulgentijs Stationum.

Nam referens continet quid, quale, & quantum est in relato. L. Aſſe tota. D. de heredib. inſtit. Pro quo Cardinalis Tuſchus. verb. Relatum, Concluſ. 129. per totam: & hæc quidem conceſſio amplior eſt quoad dictos dies, quam illa, quæ per Bullam Cruciatam habetur, quia in eâ non plurimum Eccleſiarum aut altarium viſitatio requiritur, ſed vnus Eccleſiæ: circa quod communis forma in huiusmodi viſitationibus ſeruari ſolita, eſt tenenda, de qua Auſtores, & nos Titulo 5. num. 304. & 305.

Pro ſeruis ſexis Indulgentia ſpecialis.

505 Nec parui pendenda Indulgentia alia præfatis contermina, tenoris ſequentis: Illique, qui ſingulis diebus Fera ſexta prima hebdomadæ cuiuſque menſis eaſdem Eccleſias deuotè viſitauerint, & ibi quinque Orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam, pro exaltatione Fidei Catholica recitauerint, ſeptem annos; in Feſtis verò Domini Noſtri Ieſu Chriſti, & Beate Virginis, Apoſtolorum, ſub cuius Titulo Eccleſia conſiſtet, decem annos. Sic Pontifices in Bullis tenoris eiſdem. Quia verò in illis, vt communiter circumferuntur, aliquid videtur deficere, cum præfatus tenor nequeat cum Grammaticæ proprietate conſiſtere; dum dicitur, ſub cuius Titulo, vbi pluralis debebat eſſe locutio, ſi ad præfatos referenda, & Eccleſiæ ſub aliorum Sanctorum Titulo poſſint conſiſtere, ſupplendum ex tenore Indulgentiæ eiſdem, vt habetur in Compendio Indico. §. 10. vbi poſt verba, & SS. Apoſtolorum, ſic additur: At ſiſtitate ſancti, ſub cuius Titulo Eccleſia conſiſtet, decem annos. Quæ conceſſio eſt Gregorij XIII. & perpetua, Apoſtolicæque Litteris roborata, vt §. 12. adnotatur. Quidquid ergo de temporariâ limitatione fuerit à tribus Pontificibus adiectum, Gregoriana conceſſio manet, æternumque manebit. Quomodo autem conceſſio illorum, qui Gregorianæ inſeij eſſe minimè potuerunt, cum eadem omnino ſit, & cum circumſtantijs eiſdem, temporaria facta ſit, vel quare temporarijs alijs inſerta, quæ nouo robore non egebat: ſi quærat quilibet, vt iure optimo quærere poteſt? Reſpondendum eſt id propterea factum, quia ſtylus iam in conceſſionibus Indulgentiarum inualuit, vt quæ communes Religionibus non ſunt, aut earum ſingulis, cum limitatione temporis tribuantur. Licet ergo Pontifices dicti perpetuitatem Indulgentiæ prædictæ non ademerint, ſicut neque alteri conceſſioni, de qua dictum numer. 499. voluntatem tamen ſuam circa prædictum ſtylum oſtenderunt; confirmantes quidem conceſſiones antiquas, ſed cum limitatione: vt ſi quidquam confirmatio profutura ſit, vltra tempus conceſſionis nequeat prorogari. Sic etiam ſuperius circa priuilegiolorum conceſſionem philoſophati ſumus. Et eſt præterea ratio alia, quia Gregorianæ conceſſioni aliquid eſt adiectum in hunc modum: His autem, qui aliquam ex dictis Eccleſijs poſtquam conſeſſi, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, viſitauerint, viginti annos. Quod quidem & à Gregorio conceſſum, vt conſtat ex §. 11. Sed cum ſpeciali onere, ſic enim ibi: Præterea, qui in aliqua ex dictis Eccleſijs peccata ſua conſeſſi fuerint, vel Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, quoties id fecerint, toties viginti annos. Idem Gregorius, &c. Vt ergo iuxta huiusmodi

Perpetua ex Gregor. XIII. conceſſione.

Cur ab alijs temporalis.

Quid per illos adiectum.

Omnis ſpecialis à Gregorio additum.

conceſſionem poſſit quis Indulgentiam conſeſſi, debet aut conſiteri aut communicare in Eccleſiâ Societatis. Quam tamen obligationem alij ſuſtulere Pontifices, Eccleſiæ viſitatione contenti, etiamſi alibi conſeſſi fuerint, & ſacrâ Communionem reſecti. Quoad hoc ergo temporalis conceſſio eſt, & ided potuit tota conceſſionis ferie vt temporalis proponi.

506 Non modicâ inſuper æſtimatione digna eſt Indulgentia alia, quia quotidiano poteſt miſericordiæ officio immenſus inde theſaurus comparari. Sic ergo Pontificia liberalitas: Inuiſentibus autem inſirmos, & præſertim in dorum Hoſpitalia, & alia ſimilia loca pia, ipſis etiam inſirmis per ſe, vel alium miniſtrando, ſingulis diebus, quibus id fecerint, viginti quinque; qui verò ad inſirmos accedentes, ibi pernoctauerint, quinquaginta dies de inuictis eis, ſeu alijs quomodolibet debitis penitentijs in forma Eccleſiæ conſuetâ relaxamus, ac reſpectiue concedimus & indulgemus. Sic in citatâ Bullâ, & in alijs duorum Pontificum memoratis. Vbi Hoſpitale, Xenodochium, & loca pia idem designant, diuerſis licet nominibus compellentur: domus enim ſunt, in quibus ad hoſpitium ſalutare inſirmi pauperes admittuntur. In illis ergo, ſive latinè ſive Græcè nomen acceperint, eadem nominis vtriuſque ſignificatione, ſive quocumque alio, qui ſic admiſſos inuiſunt, & eiſdem inſeruiunt, Indulgentiâ prædictâ potiuntur. Poſſunt autem per ſe, vel per alios inſeruire, per filios inquam, aut famulos. Neque id propterea tantum eſſe debet, quod ipſi impediti ſint, quo minùs inſeruire poſſint; nam licet nullo labore impedimento, lucrari Indulgentiam poſſunt, dummodo inuiſant; accedant inquam, alloquantur, ſolentur, & aliquod per ſe ipſos officium charitatis exercent; id enim inuiſendi verbum importat. Volunt autem Pontifices Indorum Hoſpitalibus ſpecialis beneuolentiæ affectum oſtendere, dum aiunt, & præſertim Indorum Hoſpitalia; cum alijs nihil ea inuiſentibus peculiare concedant. Et poteſt obtineri Indulgentia cuiuſcumque inſirmi viſitatione, etiamſi in domo propria ſit, aut alibi, dummodo illi aliquomodo per ſe, vel per alium ſeruiatur; quia conceſſionis forma non ampliùs exigit, licet circa Indos in Hoſpitalibus iacentes ſpecialiùs velint officia pietatis exerceri. Dicitio enim Præſertim implicatiua eſt, vt Iuriſperiti loquuntur: indicant enim idem eſſe in caſu alio, licet in illo fortior militet ratio, iuxta ea, quæ adducit Euerardus in loco A natura dictionum implicatiuaris, num. 1. & Gutierrez Libro 1. Quæſt. Canon. Quæſt. 20. num. 5. Fuerat autem multò amplior conceſſio Gregorij XIII. qui non dies, ſed annos Indulgentiæ, viginti ſcilicet quinque, & quinquaginta inuiſentibus & ſeruientibus erogarat. Sed fuit illa cum multis alijs Anno 1603. finita. Qui autem perpetuam cum alijs volunt, eo poterunt ſuæ conſcientiæ ſolatio in opere aded Deo grato, & à Pontificibus expetito, miniſtrare.

Pro inſeruientibus in Xenodochijs Indulgentia peculiaris.

Etiã ex tra Hoſpitalia poſſe obtineri.

Vis particula Præſertim.

507 Indulgentiarum poſtrema in prædictis Bullis ſic habet: Eis etiam, qui coram Beate Mariæ imagine ab alma Vrbe ad Collegium Cuiuſatis Liame in Pern. vt aſſeritur, delata, tertiam Roſarij partem, vel Coronam recitauerint, centum ſimiliter dies, de inuictis eis, ſeu alijs quomodolibet debitis penitentijs, &c. Imago hæc parua quidem, ſed veneratione digni-

Pro Imag. Beate Virginis. Roma Miſſa Indulgentia ſingularis.

Specialis obſeruatio pro excellentiâ Virginis commendanda.

Pro faciendibus conſcientiæ examen Indulgentia equalis.

Catechumenos poſſe lucrari Indulgentias.

digniſſima, à Beato Franciſco Borgia, cum Societatis eſſet Præpoſitus Generalis, dono eſt ſingulari tranſmiſſa, quæ & ſingulari ornatu, ac peculiari cultu, deuotoque multorum concuſſu celebratur. Et in conceſſione pro illâ id ſpecialiter obſeruandum occurrit, quòd cum Indulgentia pro ſeruientibus inſirmis, quando officium charitatis aded excellit, vt apud eos quis ſeruiturus recitantibus tamen tertiam Roſarij partem, vel Coronam coram dicta Imagine, duplò maior Indulgentia diem ſcilicet centum, concedatur. Minor ergo labor, in quo moleſtia nihil, tadj, aut horroris interuenit, vt interuenire ſolet, dum inſirmi in Hoſpitalibus, pernoctatione præſertim apud eodem, miniſtratur, maiori donatur præmio: quia excellentia Virginis, cui tale præſtatur obſequium, ſuo id iure videret promereri. Eſt autem Indulgentia alia prædictæ par, cuius appoſitione viuus iſti pietatis Pontificiæ claudendi, qui noſtra tractatione fluxerunt, & habetur §. 12. vbi ſic dicitur: Facientes inſuper ſua conſcientiæ examen, & de peccatis per eos commiſſis verè penitentes, quoties fecerint, centum dies. Ex Litteris pro Indijs Gregorij XIII. Magnum ergo aliquid in conſcientiæ reperitur examine, cum illud pietatis officijs erga inſirmos præſeratur, & obſequio Virginis duplò maioris præmij, prærogatiua Pontificum exæquetur. Tria hæc qui ſtudioſè peregerit, quàm ille felix! dum felicitatis egregia pignora numero fauſto connectit; quæ ne excidant, duò verſiculi beneficio memoriæ comprehendunt. Sequentes excipe

Saluus eris MARIÆ obſequio, ſi ſeruis egenis; Si dolor erratis quotidianus adest.

Circa Catechumenos doctrina utilis, nonnullis alijs adiectis.

508 Illud tandem adiciendum Catechumenos poſſe lucrari Indulgentias, ſi in ſtatu gratiæ ſint; iam enim voto Baptiſmum ſuſceperunt, & facti ſunt Chriſti membra; immò & Baptiſmo fluminis baptizati, vnde & pro illis ſumi Bullæ deſunctorum poſſunt. Sic Doctores, quos

adducit & ſequitur P. Quintanadueñas Tomo 2. Tractat. 6. Singulari 8. Vbi illud ſpecialè addiderim, quòd ſi, dum Baptiſmi ſuſceptio differtur, etiamſi id culpabili Catechumeni contingat incuriâ, Indulgentia aliqua, vel Iubilæum publicetur; poterit ille ſuſcepto poſtea Baptiſmo, & cafaciens, quæ pro obtinendis gratijs huiusmodi præſcribuntur, eaſdem obtinere. Licet enim Baptiſmo remittantur peccata omnia, & illis debita poenæ; poſt illum tamen poſſunt alia committi, & pro illis Indulgentiarum ſubſidium adhiberi. Id probo ex conceſſione Gregorij XIII. de qua verb. Indulgentiâ, §. 18. in Compendio Indico, vbi ſic dicitur: Penitentes autem, qui culpabili in diſpoſitione impediti erunt, eaſdem Indulgentiam conſequi poterunt, vbi primum abſulerint impedimentum, & communicauerint, & etiamſi iam dies ad Indulgentiam obtinendam conſtitutus præſerierit; ita habetur in viua vocis Oraculis, pagina 100. Sic ibi. Et perpetua quidem Indulgentia eſt, cui non obſtare per viua vocis Oraculum haberi; iam diximus; neque pro Orientali Indiâ conceſſam; cum aded probabile ſit generales Indulgentias eſſe communes. Quod autem ibidem dicitur: Vt quando in Indiâ Orientali conceditur plenaria Indulgentia iſis, qui conſeſſi fuerint, & ſacram Euchariſtiâ ſumpſerint; obtineri poſſit ea Indulgentia etiam ab iſis, quibus per actum, vel aliud legitimum impedimentum (ſine eorum tamen culpa) communicare non licet; ſi tamen cetera omnia peregerint. Non ita eſt accipiendum, vt tantum debeat intelligi de Indulgentijs, quæ in ſpeciali pro Indijs conceduntur, ſed pro quibuscumque alijs, etiam vniuerſo Orbi Chriſtiano communibus: verè ſiquidem de illis dici poteſt in Indijs concedi, & omnium eadem eſt ratio. Immo pro generalibus maior eſſe ratio poteſt, quia ſolent eſſe illæ rariores, vt Anni ſancti, & ſimiles; quibus æquiſſimum eſt nullum fidelium defraudari. Quod ad Catechumenos verò attinet, cum in illis eadem ratio ſit, quæ in alijs, & cum omni proprietate verificetur culpabili indiſpoſitione eſſe impeditos (ſi autem inculpabilis ſit, ratio eſt manifeſtior) poterit prædicta locum habere conceſſio: quæ cum alijs fauorabilis ſit, & in fauorem fidei ſpecialiter, ex eo capite etiam amplianda, iuxta læpiùs dicta & ſpecialiter Cap. 2. Et hæc pro priuilegijs ſatis, vt iam ad alia.

Etiã ſi ante Baptiſmum publicentur. Caſus ſpecialis.

Priuilegiū peccata pro Indijs.

Conceſſionem locum habere etiam pro Indulgentijs non conceſſis ſpecialiter pro Indijs.

Ad Catechumenos applicatio.

